



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 152. Et prohibentem tributæ dari Cæsari. v. 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

discentes, Invenimus hunc subvertentem gentem nostram: quod imprimis tantum aberat, ut potius gentem ad Deum converteret, non solum suis monitis docens; sed & exemplo edificans in omnibus se legis observatissimum ostendens, unde & ipse dicebat, non veni solvere legem sed adimplere omnes ad penitentiam & virtutis studium excitavit omnibus benefaciens corpore & animo; quod si nomine subvertentis gentem, seditiosum hominem intelligant, impudentissimum hoc erat mendacium, cum Christus nullam unquam seditionem excitasset, quin præceperat inimicos diligere, pacem & fraternam charitatem colere, magistratui legitimo prædicavit non esse contradicendum; imo interpellatus à duobus fratribus de dividenda hereditate, noluit falcem mittere in messem alienam Iudicium secularium, & erat tum temporis tota provincia illa maxime quieta, & tranquilla.

Quis autem non indignissime ferat, sua benefacta à calumniatoribus malitiose depravari? de huius doloris indignitate conqueritur plalmista, invidum hominem sic alloquens: *Quid gloriaris in malitia? cur linguam tuam acuis, ut sicut novacula acuta dolum faciat: & quid est acutius novacula recenter præparata? attamen multo vivacius penetrant calumniatoris verba: nam novacula tantum superflua, vel faciei, vel capitis radit: veram famam, hominis cunctis opibus longè meliorem & spirituale bonum detradunt verba detractorum.*

O Innocentissime. Iesu quam patienter illas injurias & tormenta sustinuit propter peccata mea! & quid ego pro amore tuo patienter fero? quam in omni vel minima occasione sum impatiens! da veniam, & emendandi gratiam ad animæ meæ salutem & gloriam tuam,

§. 152. *Et prohibentem tributa dari Cæsari. v. 2.*

Et hoc falsum erat, & cognitum ipsi Iudici Pilato perbene; ipse enim ut credibile est, cum Herodianis suos miserat olim à Christo percunctaturos; an liceret tributa dare Cæsari, an non? Et Christus responderat viso numismate census, *Reddite, quæ sunt Cæsari, Cæsari, & requisitus ab exactoribus tributum; id est solvere didrachma non solum pro se, sed & pro Petro, secundario capite familiæ, solum adhuc designato, integerrime Cæsari solui præcepit: nihil enim Christus a deo aut verbis docuit, aut re ipsa ostendit; quam pacem, etsi vere ille ad tributum dandum non tenebatur, utpote Deus & Dominus ipsorum Dominorum & Regum, & Imperatorum; nunquam etiam in toto Evangelii decursu reperietur eum prohibuisse dare tributa principibus, sed aperte potius docuisse. Habetis igitur Iesum, justum filium Dei, si aliud non habetis,*

P

Beng